GORDIVS NODVS TRIPLICI ENSE SOLVTVS,

Siue

Errores, Scelera, Negotia


Scientijs, Virtutibus, Dignitatibus

EMINENTISS. ET REVERENDISS.

CARDINALIS

BERNARDINI SPADAE

fœliciter profligata.



Musicè gratulantibus Musis

Dum

IOANNES SERVADON LEODIENSIS
Collegij Germanici & Hungarici Alumnus

Philosophicas Theses propugnaret in Aula eiusdem Collegij
Anno 1637. *Mense* *Die* *Hora*



ROMÆ, Ex Typographia Francisci Corbelletti. MDCXXXVII.

TRIPLEX NODVS
Triplici
EMINENTISSIMI CARDINALIS
BERNARDINI SPADAE
Gladio solutus

PRIMVS NODVS
ERROR.
Ode tricolos tetrastrophos.



VOS Implicato, SPADA, volumine
Nexus resoluis? quamque minacia;
Victore ferro; tortuosis
Monstra secas sinuata gyris?
Abstrusa sic vincula nexuit
Fatale plaustrum, vincula Gordio
Nascentis omen dignitatis,
Assyrij columenque Sceptri.
Non sic Echidnæ colla tenacibus
Adstricta nodis, Hesperius Draco
Spiras minores traxit, amplæ
Cauda minor iacuit Chimeræ,
Hinc error, illinc torua licentia,
Negotiorum nec procul agmina,
Frustra retorquent impedita
Vincla, tuo resecanda ferro.
Quippè vt triformem certiùs amputes
Nodum, ense dextram tergemino premis,
Et liliorum messe trina
Ter celebrem gladium coronas.

Primus suarum retia fraudium ,
Cæcus Meandris error in abditis
Calat, sed anfractus retecta
Ense tuo patuere fraudis .
Nam veritatis diuidis intimas
Ferro medullas, & patitur diem,
Scindente te , quodcunque nigro
Nox sepelit tenebrosa velo .
Dextra prehensum certa scientia
Librare vanos non sinit impetus,
Ictus aberrantes coërcet,
Difficiles penitus machæram
In quæstiones mittit, & inuios
Rerum meantem dirigit in sinus:
Sic destinatas contigisti,
Certus vbique petitor, artes.
Non Phœbus omnes in penetralia
Duxit, supremo sistere margine
Multos coëgit, turba maior
Stare procul foribus iubetur.
At si quis altos prodijt in specus,
Proh quàm retruso colla ligamine
Compressa nequicquàm laboras
Multiplici soluisse nodo!
Qualem latentes immeritam in plagas
Prognen petitæ traxit amor dapis,
Alasque frustra commouentem
Implicitæ retinent catenæ:
Sic mille mentes retibus inscias
Cirrhæ illigarunt torta palatia;
Non inde fraudes expedire,
Robora non potuere quemquam.
O Te beatum, SPADA, reconditis
Quem liberatum nexibus eximit
Mentis profundæ viua cuspis,
Ingenijque acies sagacis!

Quocumque ducunt fila Mathefeos,
Scientiarum Dædaleas domos
Lustras, & occultos recessus,
Ingenio duce, peruagaris.
Portenta clausis si qua sub angulis
Lacessere audent, collaque nexibus
Ambire circùm Viperinis,
Monstra tuum timuere ferrum.
I nunc, & ausus dic temerarios,
Quisquis verendos in Sophiæ sinus
Spectas euntem, mutuabor
Tela, quibus dolus amputetur.

SECVNDVS NODVS.

SCELVS.

Ode Dicolos tetrastrophos.



IRTVTIS speciem quærere desine,
Dulcis Socraticæ cycne scientiæ,
Amplexus, viden, vt tendit amabiles,
Sacris blanda sub infulis?
Aut virtus renuit deuia prospici,
Et nostris refugum luminibus iubar
Inuidit, populis orbe sub altero
Allucens melioribus:
Aut cum purpurei lumine muricis
Communes radios iunxit, & arduis
Affulgens solijs, casta pudentibus
Tinxit membra ruboribus.
Cerne vt multiplici mista satellite
Patrum crebra latus gloria protegat:
Virtutem simili, cùm caput extulit,
Laudes obsequio ambiunt.

Cerne, vt densa cadunt agmina criminum,
Victorum rapidis proruta curribus:
Sic virtus quoties ardua prodijt,
Calcatum iacuit Scelus.
Vnum, si nimius te nitor obruit,
Specta, quo gladium robore concitet!
Hoc ferro, quoties crimina vindicat,
Terret iusta themis Stygem.
Turbatur Phlegeton, Cerberus horridis
Latratum triplicem faucibus euomit,
Cocytus tumidis gurgitibus strepit,
Ditis regna remugiunt.
Terretur gladijs Agmen Erynnium,
Hoc ferrum metuens Improbitas fugit,
Nec mersum tenebris in Stygialibus
Collum tollere sustinet,
Quales terrigenæ Thessala culmina
Aequauere polis, mole sed irrita:
Nam de sidereis Iuppiter arcibus,
Nisus fregit inutiles.
Sic cum liuor edax, & furor, & doli,
Et pollens fauor, & cæcui amor lucri,
Excussere iugum, fulmina sentiunt
Sparsis ebria cladibus.
Cùm SPADAE iacuit fulmine percita,
Nequicquàm Improbitas pectora succutit,
Debellata ruunt crimina, nec iuuant
Vires viribus impares.
Sic frustra, impositis molibus obrutus,
Pugnat Centimanus terga Typhoëus
Subduxisse oneri: nam super incubat
Toto pondere Trinacris.
Sin victa impietas retia comparat,
Et quos non licuit vincere, decipit:
Quàm promptè hoc fragilis tegmen aranei
SPADAE rumpitur ensibus!

Quid

Quid mirer, finibus tota capacibus
Si virtus subeat? præsidium petit.
Hoc templum Pietas constituit loco,
Quem securior incolit.

TERTIVS NODVS.

NEGOTIA.

Ode dicolos tetrastrophos,



ST sibi merces animosa Virtus,
Indigens nullo, sibi seruit vni,
Nec notis paret popularis auræ,
Nescia flecti.
Siue supremo rapiatur axe,
Seu rota serpens iaceat sub ima;
Maior est casu, neque sortis vllis
Fracta ruinis.
Vota nec plebis tumidæ moratur,
Dante nec sumit populo secures,
Nec decus mendax aliundè quærit,
Nam decus ipsa est.
Si tamen viuus socios iugarit
Purpuræ fulgor radios, adaucta
Luce resplendens magis emicabit
Sidus vtrumque.
Dignitas, Virtusque, duæ sorores,
Mutuis debent sociare dextras
Fœderum vinclis, paribusque semper
Passibus ire.
Dignitas ferrum dabit; hoc peritè
Dexterà Virtus habili mouebit:
Litium nexus melius secabunt,
Robore iuncto.

Quan-

Quantus hoc ferrum manibus rotasti,
SPADA, cùm rerum grauis excubantem
Stringeret moles, & vbique nexus
Causa pararet?
Dicat expertus tumidi Superbus
Sequanæ potor, recinatque, quisquis
Prisca Doctus iura Bononiensi
Pandit in arce.
Sicut Auriga quatiente franos,
Curruum falces rapiunt quadrigæ,
Integros sternunt cuneos, vehuntque
Funera mille:
Difficultates, obicesque rerum,
Mente strauisti penetrante densos
Ordines, crebraq; velut secante
Falce phalanges.
Ingeni prudens, vegetumque robur.
Tela direxit bis acuta lingua,
Cessit implexus tibi quæstionum
Ordo loquenti.
Qualis abruptis rapitur citatus
Alpibus torrens, quoties sereno
Verna tempestas tumulos niuales
Sole resoluit.
Haud minor doctæ fluuios suadæ
Concitans, captis animos subisti
Auribus, grata penitus loquela
Corda pererrans.
Quos grauis fandi, subitusque torrens
Sub iugum, & leges nequijt vocare;
Mentis hos magna vigor, & paratus
Ensis adegit.
Dignitas post hac tibi par haberi
Quæ potest, ex quo omnia Dignitatum
Vincla soluisti, nisi Dignitates
Quæ capit omnes?

FINIS.